

"adversus hanc professionem meam, dispensationem in gratiam et favorem cuiusquam impertrabo, nec curabo impetrari, nec ab aliis impertratam ullo modo acceptabo. Haec omnia in me recipio, quatenus Statutis regni editis aut edendis non repugnant, et ita do fidem."

Quibus peractis, Magister electum vel electos hac forma in Societatem admittet: "Ego M. N., Magister hujus Collegii, admitto te in Socium ejusdem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen."

Sociis eodem die electis assignetur in Collegio senioritas juxta gradus Academicos.

CAP. XVII.

De Conditionibus Societatis retinendæ.

Socii omnes ad gradum Magisterii in Artibus sive ad ilium consimilem gradum quamprimum per publica Academias Statuta possint, licebitur, se curent promoveri sub pena amissionis Societatis sue, nisi ægrotatione, violenta detentione, aut aliqua alia causa a Magistro et majori parte Sociorum approbanda impediantur.

Ex toto autem Sociorum numero quatuor ad minimum sint semper in Sacris Ordinibus constituti. Quod si vacante Socii loco, contigerit ut tunc temporis non sint in Collegio quatuor Socii in Sacris Ordinibus constituti, eligatur in locum vacantem Presbyter vel Diaconus, aut electus intra unius anni spatium se Diaconum fieri curet, alioqui e Collegio recedat et pro non Socio habeatur; nisi fuerit aliquis e senioribus Sociis qui Sacros Ordines sponte suscipere velit.

Singuli autem Socii, nisi in Sacris Ordinibus sint constituti intra septem annos a tempore admissionis sue, post decem annos ab eodem tempore completos Secii esse desinent; exceptis tamen iis quibus per harum aliquam quæ sequuntur exceptionum Societatem diutius retinere liceat.

Si quis Socius post decem annos a tempore admissionis sue completos locum Professoris in Academia obtineat (cujus annuus valor quingentas libras pecunia communibus annis non excedat), licebit ei, quamdiu locum illum aut consimilem alium in Universitate locum obtineat, Societatem suam retinere etiamsi in Sacris Ordinibus non sit constitutus.

Si quis Socius post decem annos a tempore admissionis sue completos Tutorum Adjutoris aut Bursarii in Collegio suo locum obtineat, et per tres annos proxime praecedentes obtinuerit, licebit ei Societatem suam retinere, quamdiu locum illum aut consimilem alium in Collegio obtineat, etiamsi in Sacris Ordinibus non sit constitutus.

Si quis Socius per spatium integrum quindecim annorum officio in Collegio suo vel Tutorum Adjutoris vel Bursarii functus sit, licebit ei Societatem suam retinere, etiamsi officio non amplius fungatur, neque sit in Sacris Ordinibus constitutus.

Proviso quod non sint ultra duos Socios eodem tempore in Collegio qui virtute alicujus harum exceptionum Societatum suam retineant.

CAP. XVIII.

De Amotione Sociorum.

Si quis Socius a fide et communione Ecclesiae Anglicanæ, uti legibus regni stabilita extat, aperte cesserit, Magister, convocatis ad se Sociis, rem investigabit, et, si demonstretur, cum assensu majoris partis illorum, illum a Societate amovebit.

Si quis Socius cuiuscunq; criminis coram Judice legitime damnatus fuerit, Magister, convocatis ad se Sociis, rem audiet, et, cum assensu majoris partis Sociorum, Socium sic damnatum e societate extrudere poterit.

Si quis Socius de turpi conversatione accusetur, unde Socius esse Collegii indignus factus sit; aut si quis disciplinam Collegii ullo modo pertinaciter turbaverit, vel vehementer negligens fuerit in his agendis ad quæ per hæc Statuta obligatur, Magister, ad se convocatis Sociis, et, cum assensu majoris partis Sociorum, Socium sic aberrantem vel amonebit vel omnino amovebit, prout rei necessitas postulabit.

Proviso tamen quod Socio vel Sociis, hoc modo amotis, semper sit jus provocandi ad Procancellarium Universitatis.

Proviso quod neuter Sociorum Magistro ita assidentium sit Socius ille, de quo res agitur.

CAP. XIX.

De Senioritate inter Socios observanda.

Inter Socios, exceptis iis qui sub Capite proxime sequente electi sint, seniores secundum admissionem maxime, cæteris paribus, in ecclesiarum et beneficiorum collationibus, atque in camerarum assignationibus, præferendi sunt.

CAP. XX.

De Electione Sociorum e Professoribus, aut ex aliis ob Literas vel Scientiam insignibus.

Licebit Magistro et Sociis in hanc rem convocatis, et consentientibus tot suffragiis ad minimum quot numerum trium partium Magistri et Sociorum omnium tunc temporis existentium excedant (quorum valeat duo Magistri suffragium), in Socium eligere aliquem intra Universitatem Professorem, etiamsi uxorem duxerit, qui nec beneficium in Ecclesia extra Universitatem habeat nec Magister sit nec Socius alius Collegii: qui Professor sic Socius electus retinebit Societatem quamdiu intra Universitatem Professor sit, sed non diutius.

Licebit etiam iisdem in Socium eligere aliquem virum ob literas vel scientiam insignem, etiamsi uxorem duxerit, qui nec beneficium in Ecclesia extra Universitatem habeat nec Magister sit nec Socius alius Collegii. Sed Socius sic electus Societatem amittet si beneficium aliquod in Ecclesia extra Universitatem adipiscatur.

Nullus Socius, sub hoc Statuto electus, jure vindicabit præsentari ad Ecclesiam quandam cuius patronatus ad Collegium pertineat; nec, si uxorem duxerit, cameras intra Collegium sibi assignari.

Proviso semper quod numerus Sociorum sub hoc Statuto electorum, nunquam excedat sextam partem totius numeri Sociorum.

CAP. XXI.

Quantum aliunde eis recipere liceat.

Si quis Sociorum substantiam annuam assecutus fuerit, unde possit commode sustentari, non est justum ut ille stipendia pauperibus et egentibus deputata suscipiat; idcirco volumus et statuimus quod si quisquam Sociorum assecutus fuerit patrimonium, liberam capellam, pensionem, seu beneficium cuiusunque generis quod valorem annuum ter centum librarum excedat, tunc post alicujus eorundem pacificam possessionem, desinat ipso facto pro Socio haberi.

CAP. XXII.

De prandendi et cœnandi loco.

Et quoniam eos omnes in unitatem quandam integrari cupimus, ut sint tanquam corpus unum sub Magistro totius Collegii capite; idcirco omnes Socios, Scholares, et Pensionarios Collegii prædicet in publica ejus aula prandere et cœnare volumus, nec quenquam eorum seorsim in cubiculis vel aliis